



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd non liceat iniquas obseruationes Calendarus agere. xv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De mulierculis, quæ infantes suos pro sanitate in fornacem aut supra tectum ponunt. Cap. XIII

Ex pœnitentiâ Bedæ presbyteri. **M**ulier si qua filium suum ponit supra tectum, aut in fornacem pro sanitate febrii, unum annu[m] pœnitentia[m] agere. *Caput XV.*

Ex decre. Martia. papa. **N**on licet iniquas obseruationes agere Calendarum & ocis vacare, neque lauro, aut uiriditate arborum cingere domos. Omnis hæc obseruatio paganorum est.

De illis, qui Calendas Ianuarias ritu paganorum colere præsumunt. Cap. XVI.

Ex decre. Zachari. papa, ca. 11. **S**i quis Calendas Ianuarias ritu paganorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouum annum, aut mensas cum lapidibus vel epulis in domibus suis præparare, & per vicos & plateas cantatores & choros ducere præsumperit, anathema sit.

De eadem re. Caput XVII.

Ex conc. Rotoma. **S**i quis in Calendis Ianuariis aliquid fecerit quod a paganis inuentum est, & dies obseruat & lunam, & menses, & horarum effectiua potentia aliquid sperat in melius aut in deterius verti, anathema sit.

De bubulcis, vel venatoribus qui suas incantationes exercuerint. Cap. XVIII.

Ex eodẽ, cap. 4. **P**erscrutandum si aliquis subulcus, vel bubulcus, siue venator, vel cæteri huiusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio, aut in triuio proiciat, ut sua animalia liberet à peste, clade, & alterius perdat. Quæ omnia idololatriam nulli fideli dubium est: & ideo summopere sunt exterminanda.

Quod non liceat mulierculas Christianas vanitates in suis lanificiis obseruare. Cap. XIX.

Ex cõcil. Bragga. cap. 10. **N**on licet mulieres Christianas, vanitatem in lanificiis obseruare, sed Deum inuocent adiutores qui eis sapientiam texendi donauit.